



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola IX. Gregorii Papae I. Ad Evmdem. De monasteriis ancillarum Dei,
& de Concilio episcoporum. de seruis & ancillis Iudaeorum. & quod
presbyteri baptizatos infantes in frontibus signare non ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

& solicitude participem. Reliquias vero, quas ibidem postulat collocandas, volumus ut a fraternitate tua sub debita veneratione condantur.

EPISTOLA IX.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

De monasteriis ancillarum Dei, & de Concilio episcoporum. de seruis & ancillis Iudaorum. & quod presbyteri baptizatos infantes in frontibus signare non debeant, sed semel in pectore tangere, & episcopi in fronte.

Gregorius Ianuario episcopo Calaritano.

SATIS quidem te ipse pastoralis zelus instigare debuerat, vt gregem, quem susceperas, etiam sine nostro solatio salubriter ac prouide tuereris, & a callidis inimicorum surreptionibus eum diligent circumspectione seruares. Sed quia caritatem tuam pro suæ firmitatis augmento, nostræ quoque pagina auctoritatis indigere comperimus, necessarium nobis fuit titubantes animos tuos ad religiosi vigoris studium fraternali dilectionis exhortatione firmare. Peruenit siquidem ad nos minus te monasteriis Ioan. diac.
lib. 4.c. 46. ancillarum Dei in Sardinia sitis tuitionis impendere: & cum dispositum atuis prudenter fuisset decessoribus, vt quidam de clero probati viri curam gerentes, earum se necessitatibus adhiberent; nunc ita funditus esse neglegunt, vt per publicas personas, pro tributis aliisque municiis ipse per se principaliter Deo dedicatae feminæ compellantur subire, necessitatemque habeant pro supplendis fiscalibus per villas prædiaque discurrere, atque virilibus incompetenter se miscere negotiis. Quod malum fraternitas tua facili correctione remoueat, vt vnum probatum virum vita moribusque, cuius ætas atque locus nihil de se prauæ suspicionis iniiciat, solicite deputet, qui sic monasteriis ipsis cum Dei timore possit assistere, quatenus ulterius eis pro quibuslibet causis priuatis vel publicis extra venerabilia loca contra regulam vagari non liceat, sed quid pro his agendum est, per eum quem deputaueris, ra-

tionabiliter peragatur. Ipsæ vero referentes Deo laudes, atque coercentes semetipsas, in monasteriis suis nullam occasionem vterius fidelium mentibus prauæ suspicionis iniiciant.

*Grat. 27. q.
1. cap. 18.
Iuo p. 7. c.
123.*

Si qua autem earum vel per anteriorem licentiam, vel per impunitatis prauam consuetudinem ad lapsum adulterii deducta fuerit, aut in stupri fuerit perducta voraginem, hanc post competentis seueritatem vindictæ, in aliud districtius virginum monasterium in pœnitentiam volumus redigi, vt illic orationibus atque ieuniis vacet, & * sic pœnitendo proficiat, & metuendum ceteris arctioris disciplinæ præstet exemplum. Is autem qui cum huiusmodi feminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, omni communione priuetur, si laicus est: si vero clericus fuerit, a suo quoque remotus officio, pro suis continuo lugendis excessibus in monasterium detrudatur. Episcoporum etiam Concilia, sicut tam tuæ mos dicitur fuisse prouincia, quam quod sanctorum Canonum auctoritate præcipitur, bis in anno celebrare te volumus, vt & si quis inter eos a sui forma propositi actionis atque morum qualitate discordat, sociali possit fratum increpatione redargui: & pro securitate commissi gregis, animarumque statu, paterna valeat circumspectione tractari. Peruenit etiam ad nos, seruos ancillasque Iudæorum fidei causa ad ecclesiam refugientes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorum, ne restituantur, precium dari. Hortamur igitur, vt nullatenus tam prauam consuetudinem manere permittas; sed si quilibet seruus Iudæorum ad venerabilia loca confugerit causa fidei, nullatenus eum patiamini præiudicium sustinere. Sed siue olim Christianus, siue nunc fuerit baptizatus, sine vlo Christianorum pauperum damno, religioso ecclesiastica pietatis patrocinio in libertatem modis omnibus defendatur. Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant; sed presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt episcopi postmodum vngere debeant in fronte. Pro fundandis etiam monasteriis, quæ a diuersis iussa sunt construi, si iniusta perspicis hæc aliqua ab iis quibus indicta sunt excusatione differri, solerter secundum quod leges præcipiunt admonere te volumus, ne piæ viuorum aut defunctorum voluntates, tua, quod absit, remissione cassentur. De mona-

*Canone
apost. 36.
G. I. A-
naccl. epist.
1. ante fin.
Leo ep. 62.
& 82. cap. 7.
Burch. lib. 1.
c. 41.
Iuo lib. 4.
tit. 2. cap. 1.
Infr. Grat.
libro 7. epi.
108. Grat.
diff. 4. Iuo
part. 1. cap.
164.*

*Grat. 16. q.
1. cap. 14.*

sterio

sterio autem quod in domo sua construendum quondam Petrus asseritur præcepisse, præuidimus, vt fraternitas tua subtiliter requirat relictorum illic reddituum quantitatem. Et si quidem modus habetur substantia, recollectis omnibus quæ de rebus ipsis imminuta dicuntur esse, vel dispersa, cum omni studio hoc & sine aliqua dilatione fundetur. Sin autem vel minus idonea vel damnosa facultas est, omnibus, vt edictum est, subtiliter inquisitis, nobis renuntiare te volumus, vt sciamus quid deliberare, iuuante Domino, de eius constructione possimus. Fraternitas igitur tua ita in cunctis prædictis capitulis se solerter impendat, vt nec nostræ admonitionis seriem inueniatur fuisse transgressa, nec diuini rea iudicii, de minori zelo pastoralis existat officii.

EPISTOLA X.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVM DEM.

Vt voluntatem Stephani defuncti de monasterio
construendo faciat adimplere.

Gregorius Ianuario episcopo Calaritano.

Nos quidem arbitramur, quod ad imminentiam exceptionis piarum rerum, ipse te tuus satis ordo compellat. Sed ne zelum tuum cuiuslibet interuentus remissionis emolliat, de his etiam te specialiter iudicauimus exhortandum. Peruenit siquidem ad nos Stephanum vestrum de hac luce migrantem, supremæ voluntatis eloquio monasterium præcepisse fundari. Cuius desiderium a Theodosia honesta femina herede eius fertur quod haec tenus dilatione protrahitur. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, vt maximum de prædicta causa studium geras, atque ante nominatam feminam commoneas, quatenus intra annale spatum monasterium quod iussum est debeat ordinare, & cuncta secundum defuncti voluntatem sine alteratione construere. Quod si intra prædicti temporis metam aliqua perficere negligentia vel calliditate distulerit, vt siue in loco eo, quo constitutum fuerat, seu certe ibi non poterit, & alibi placet ordinari, & dilatione interueniente negligitur; tunc volumus vt fraternitatis tuae ædificetur

Concil. Tom. 13.

Yy